

Miscellen.

Varia.

Plautus Stichi 270

Sed eccum Pinacium eius puerum. hoc sis vide:
Satis ut facete aequae atque ex pictura astitit.

In his versibus, quos Fleckeisenus acute restituit, nihil interest quod non facile intellegere et interpretari possis. At si Graece eos expresseris, quod licet, quoniam e graeco poeta sumpti sunt, facetias quasdam latere reperies, quas Plautus vertendo obscuravit. Nec sane aliter potuit facere: ἀλλ' ἴδε Πινάκιον — ὡς ἐκ πίνακος παρίσταται. Nam sic fere poeta Graecus scripserit, lepidum affectans verborum lusum¹, quem si comparaveris, frigere senties illud Platinum: Pinacium — aequae atque ex pictura.

Varronis sat. Menipp. fr. 384

cum traditum sit: 'nasturcium non invides ideo dici quod nasum torqueat, ut vestispicam quod vestem spiciat?' editores utrum nonne vides an non vides restituerent, ambegerunt, sed verum esse non vides cum ex eo sequatur, quod Varro ipse non aliter alibi locutus est (conf. e. g. fr. 115, 179, 189, 204), tum prosaicis latinis omnino non vides videtur fuisse proprium. Sic rhetoricae ad Herennium auctor LV 68: 'Fuge, inquit, Tiberi, fuge. Non vides? Respic, inquam.' Cicero quidem et aliis locis et celeberrimo illo Catil. 1: 'constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides?' Idem saepius videsne dicit, ut de oratore II 157: videsne Diogenem fuisse? de orat. III 169: 'Verum illa videtisne esse non verbi?' Brutii X 39: 'Videsne igitur vel in ea ipsa urbe eqs.?' nec amplius semel nonne vides usurpavisse eum comperi sed ita, ut regula nostra non tam evertatur quam confirmetur, de nat. deorum III 13: 'nonne senatus consultum de Vatinio vides?' hic enim nonne et vides vocabulis compluribus interiectis separantur. Porro inter posteriores certe Seneca ita locutus est; velut de beneficiis IV 15, 3: 'non vides inesse isti rei maximam quandam vim?' ibd. VI 24, 1: 'non vides quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant?' epp. mor. 84, 9: 'non vides, quam multorum vocibus chorus constet?' Verum alia res est apud poetas. Quamquam Plautus non potuit nisi non vides dicere idque saepius exhibet conf. Mostell. 798 Persae 385, 642, 670. Sed inter epicos primus nisi fallor Lucretius nonne vides metro heroico aptum adhibuit:

¹ Accedit quod certe tertio a. Chr. saeculo in Graeci theatri proscenio πίνακας fuisse compertum habemus.

- II 207 nonne vides longos flamarum ducere tractus
 IV 120 nonne vides quam sint subtilia quamque minuta
 V 382 nonne vides aliquam longi certaminis ollis
 VI 813 nonne vides audisne perire in tempore parvo

Etiam magis commodum fuit *nonne vides etiam*, quod undecim locis habet: II 196, II 263, IV 805, IV 1193, V 556, V 600, V 644, VI 806, VI 900, VI 1101. Quem secutus est Vergilius, verum non amplius tribus Bucolicorum exemplis, et Horatius carminum et saturarum locis paucissimis. Ovidii non novi exemplum nec Tibulli nec Propertii.

Propertii IV 1, 7:

A valeat, Phoebum quicumque moratur in armis!
 Exactus tenui pumice versus eat,
 Quo me fama levat terra sublimis, et a me
 Nata coronatis musa triumphat equis,
 Et mecum in curru parvi vectantur amores
 Scriptorumque meas turba secuta rotas.

Ineptus eris si in versu ultimo supplebis *vectatur*, siquidem turba rotas secuta curru vehi non potest. Nec vero *secuta* sic interpretari praestat, quasi pro *secuta est* dictum sit, quoniam *levat*, *triumphat*, *vectantur* praesentia antecedunt. Possit difficultatem ita tollere ut *meas* a meando derives, quo facto pro vocativo habendum erit illud *scriptorumque turba*, at tum difficile sit ad explicandum, cur in versu ultimo a narratione poeta transierit ad adlocutionem. Quam ob causam

Scriptorumque meat turba secuta rotas
 Propertium scripsisse arbitror. Iam postquam *meat turba* in *mea turba* abiit, correctori via patuit.

Aetnae carminis auctorem e Posidonio multa sumpsisse Ribbeckius in libri elegantissimi 'Geschichte der römischen Dichtung' III p. 128 suspicatus est¹; qua de re cum verba fecit, Amphinomi et Anapiae historiam ab Aetnae poeta celebratam etiam a Strabone tangi monuit, quem e Posidonio hausisse scimus. Sed huic argumento nimium auctoritatis tribuere nescio an non liceat, quoniam adolescentium Catanaeorum pietas per universam antiquitatem ita decantata est, ut volgo eam notam fuisse putemus. Praeterea inter eos, qui de illa re memoriae prodiderunt, Lycurgum dico, Strabonem, Cononem, Aelianum², Pausaniam, Philostratum, Senecam, Solinum, Claudianum, nemo cum Aetnae poeta accuratius congruit quam Cono qui primo fuit a. Chr. saeculo. Quamquam enim quae diem tulerunt excerpta lacera et mutila sunt, tamen etiam nunc in singulis rebus similitudinem persequi licet, veluti in his :

¹ Recte quidem meo iudicio.

² apud Stobaeum serm. LXX 88 ubi Φιλόνομος καὶ Καλλίας (sic) iuvenum nomina mero librariorum errore traduntur.

Gemit ille *sub auro* —
 Et quod cuique fuit cari, fugit
 ipse sub illo —
 Pergite, avara manus, dites at-
 tollere praedas: Illis *divitiae*
solae muterque paterque. Hanc
 rapiunt praedam.

Consequitur fugisse ratos et
 praemia, captis
 Concrepat ac nullis parsura in-
 cendia pascunt —
 Et circa geminos avidus sibi

αύτοὺς δὲ περιεσχίσθη τὸ πῦρ.
 temperat ignis

Reliquos omnes praeter par illud nobile fratum flammis
 haustos esse nemo praeterea auctor est. Verum, id quod mibi
 gravius videtur, Cono efficit ut carminis locum conjecturis pluri-
 mis attrectatum rectius intellegere possimus vs. 622 sq., qui versus
 in editione Baehrensiana sic scripti leguntur:

namque optima proles
 Amphinomus fraterque cluens ab nomine fontis,
 Cum iam vicinis streperent incendia tectis,
 Aspiciunt pigrumque patrem matremque —
 in libris optimis sic:

namque optima proles
 Amphion fraterque pari sub munere fontis, e. q. s.
 denique in libris recentioribus non *fontis* inest sed *fortis* aut
sortis, quas lectiones e conjectura natas esse facile perspicias.
 Iam cum Cono sic ordiatur: οἱ τῆς Αἴτνης τοῦ πυρὸς κρατήρες
 ἀνέβλυσάν ποτε ποταμοῦ δίκην φλόγα κατὰ τῆς χώρας,
 appetat Aetnae versus non laborare nisi ex interpunctione per-
 versa:

namque optima proles
 Amphion fraterque pari sub munere, fontis (seu fontes)
 cum iam vicinis streperent incendia tectis,
 aspiciunt e. q. s.

Etenim quod proles vocatur optima pari sub munere, non
 video quid contra dici possit, quoniam viribus coniunctis parentes
 e pernicie servarunt, nec vero *strepo* cum accusativo iunctum
 a consuetudine poetarum latinorum abhorret, immo elegantius est
 atque efficacius quam *incendia minitari*. Unum hoc mirum vi-
 deri poterit quod *fontes* nude ponitur, cum saltem *fontes ignis*
 exspectes. Itaque adeas eiusdem carminis v. 484:

liquor ille magis fervere magisque
 fluminis in speciem mitis procedere tarde
 Incipit ac primis dimittit collibus undas
 v. 494 ingeminant fluctus et stantibus increpat undis
 v. 498 flumina consistunt ripis ac frigore durant
 Ignes fluere idem poeta dicit v. 513. Quoniam igitur in eru-

οὶ μὲν χρυσὸν οἱ δὲ ἄργυρον
 ἔφερον, οἱ δ' ὅ τι ἀν τις βού-
 λοιτο ἐπικούρημα τῆς φύτῆς.
 Ἀναπίας δὲ καὶ Ἀμφίνομος
 ἀντὶ πάντων τοὺς γονεῖς
 γηραιοὺς ὄντας ἐπὶ τοὺς ὡμοὺς
 ἀνάθεμενοι ἔφευγον.

καὶ τοὺς μὲν ἄλλους ή φλόξ
 ἐπικαταλαβούσα ἔφθειρεν,

tione ignea montis describenda flumina, fluctus, ripas, undas, quidquid eodem pertinet sine ulla adiectione adhibuit, de fontibus eundem loqui non potest ineptum videri.

Grattii cynegeticorum prohoemium a versu 13 sic Baehrensius constituit:

Tu trepidam bello vitam, Diana, ferino,
Quoi primam quaerebat opem, dignata repertis
15 Protegere auxiliis orbemque hac solvere noxa.
Adscivere tuo comites sub momine divei
Mentem omnes nemorum, genitae de fontibus omnes
Naides et Latii . . . Faunus . . .
Maenaliusque puer domitrixque Idaea leonum.

Sed in versu 14 pro *quo*, quod frustra interpretari studei, libri *qua* exhibent, quod facile intelleges, si pro adverbio sumpseris. Deinde *adsciucere tuo* Vindobonensis (A) *adscis vere tuo* Parisinus (B) liber deterior exhibent; tum *nomine* pro *momine*, *diune* seu *dio une* pro *divei*, *centem* non *mentem* traditur, denique *nemorum genitae* Baehrensius proposuit, codices sive
s

nemorumentes (A) sive *nemor sumentes* (B) praestant.

Nos ab ultimo ordiemur, quod explanandum non mutandum fuit. Scilicet illud s, quod signum in A supra scriptum in B initium secundi vocabuli facit, nihil potest esse aliud atque *um*
s
terminationis compendium; ergo *nemorumentes* interpretor *nemorum sumentes*, et bene se habet: 'omnes nemorum, sumentes de fontibus omnes Naides', cum certe, quae de fontibus veniunt, eas humere necesse sit; praeterea Naides etiam arborum deae vocantur velut ab Ovidio metam. I 690

Inter hamadryadas celeberrima Nonacrinis

Naias una fuit; nymphae Syringa vocabant.

Sed amplius circumspiciendum est. Quod igitur Baehrensius edidit *adscivere tuo sub momine mentem*, ea sententia satis obscura est, quoniam quid sit illud *adscivere mentem* haud facile perspicitur. Iam si tenueris ei, quod est *adscivere*, subiectum esse *comites*, restat ut obiectum quaeramus, quod in *centem omnes nemorum* eqs. latere debet. Puto igitur scribendum esse *gentem omnem nemorum, sumentes de fontibus omnes | Naides*. Relinquitur in versu 16 *diune*, quod haud dubie perversum est, sed a *diuae*, quam veram existimo scripturam, non multum distat (DIUNE = DIUAE). Finge ad *comites* hoc esse appositum. Itaque versus illos corruptissimos sic exhibemus:

Adscivere tuo comites sub nomine diuae
Gentem omnem nemorum, sumentes de fontibus omnes
Naides

Deinde ab eo quod est *Et Latii-Faunus* nova incipit sententia, ac multa quidem dantur ad hiatus explendos.

Ibd. quae exstant v. 57 sq.:

Idcirco et primas linorum tangere messes

Ante vetant quam maturis accenderit annum

Ignibus et claro Plias se prompserit ortu.

Imbiberit, tanto respondet longior usus,

ea mutila esse facile intellegitur nec quidquam lucramur coniecturis singula verba temptantibus. Excidit versus, cuius quae fuerit sententia, in occulto esse non potest: *⟨quo plus caloris eo tempore linus⟩ imbiberit, tanto respondet longior usus; ipsum versum praestare nemo audebit.*

Ibd. 301 sq. ubi de canis fetae post partum cura agitur:

Protinus et cultus alios et debita fetae

Blandimenta feres curaque sequere merentem:

Illa perinde suos ut erit delacta minores

Ad longam praestabit opem.

Coniecere *ut erit dilecta Sternius, ut erit devincta Lachmannus*, denique *ut erit pellecta Baehrensius edendum sibi esse putavit.*

Verum enim vero multo lenior est haec emendatio:

Illa perinde suos uteri de lacte minores

Ad longam praestabit opem,

nec per se mirum est canem, quo diligentius ipsa colitur, eo melius et diutius catulos nutrire posse, cf. etiam Oppiani Cyneg. a 436, Demetrii Constantinopolitae cynosopph. p. 558, 29 Herch.

Perinde reddas in entsprechender Weise, quem usum puto omnibus esse notum. *Uteri* invenit Segofredus Südhaus amicus.

Bonnae.

L. Radermacher.